

*Instrumentum permutationis tra Bertone
de Stabilica e Ceccotta de Gratiano*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Instrumentum permutationis tra Bertone
de Stabilica e Ceccotta de Gratiano*

1375 gennaio 20

† In nomine domini nostri Iesu Cristi, amen. Anno a nativitate ipsius millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, regnante serenissima domina nostra Iohanna, Dei gratia inclita regina Ierusalem et Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comitissa, regnorum suorum anno tricesimo secundo, feliciter, amen, die vicesimo mensis ianuarii, tercie decime indictionis, apud civitatem Potencie.

Nos Adenulfus de Stampis de Potencia ipsius civitatis annalis iudex, Franciscus notarii Iacobi de Potencia puplicus ubilibet per totum regnum Sicilie reginali auctoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati presenti scripto puplico fatemur atque testamur quod in nostri presencia constitutis Bertono de Stabilica de Potencia ex una parte, et Ceccotta de Gratiano de eadem civitate Potencie, mero iure romano vivente sicut ceteri homines et mulieres ipsius civitatis Potencie ab antiquo vixerunt et vivunt, ex parte altera. Partes ipse earum gratuyta et spontanea voluntate, ut dixerunt, sicut eis utile et expediens visum fuit, ad subscriptam permutationem et cambium de subscriptis bonis stabilibus pervenerunt, videlicet quod dictus Bertonus, nomine et causa permutationis et cambii, dedit, tradidit et per fustis traditionem assignavit, iure proprio et imperpetuum, predicte Ceccotte, presenti et recipienti pro se et suis heredibus, domum unam quam habere se dixit in dicta civitate Potencie in parrochia Sancti Girardi, iuxta domum Comini Fornarii, mediante muro comuni, ab una parte, ab alia parte iuxta domum Petri Picernensis, mediante muro comuni, ab alia parte iuxta quintanam vicinalem et ab alia parte iuxta rugam puplicam et siqui alii sunt confines,

ad habendum, tenendum, possidendum, vendendum, donandum, permutandum, nec non et quocumque modo dicta Ceccotta et sui heredes voluerint alienandum, cum viis suis in dicta domo intrandi et exeundi atque cum omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis sibi pertinentibus quovis modo. Et e converso similiter dicta Ceccotta, nomine et causa permutationis et cambii, predicta domo ab eodem Bertono recepta, ut prefertur, dedit, traddidit et per fustis traddicionem assignavit, iure proprio et imperpetuum, prefato Bertono, presenti et recipienti pro se et suis heredibus, vineam unam quam habere se dixit in territorio dicte civitatis Potencie in contrata Pasci de Casale, iuxta vineam Antonii de Cigrina, mediante sulco comuni, ab una parte, ab alia parte superiori iuxta vineam dompni Leonardi de Moyse, mediante sulco comuni, ab alia parte iuxta pascum predictum et ab alia parte iuxta quintanam publicam et alios confines, ad habendum, tenendum, possidendum, vendendum, donandum, permutandum, nec non et quocumque modo dictus Bertonus et sui heredes voluerint alienandum, cum viis suis in dicta vinea intrandi et exeundi atque cum omnibus aliis iuribus et pertinentiis suis sibi pertinentibus quovis modo. Et promiserunt dicte ambe partes sibi ad invicem altera silicet ab altera presente et stipulante pro se et heredibus suis dicta bona a se permutata sibi ad invicem et heredibus suis ab omni homine et persona quacumque legitime defendere, guarentire et disbrigare et de evictione teneri, nec de bonis ipsis litem vel controversiam vel questionem aliquam sibi ad invicem et heredibus suis dare vel inferre ullo unquam tempore nec inferenti consentire vel assentire, sed dictam permutationem et cambium et omnia et

singula supradicta et infrascripta ratam et rata ac firmam et firma habere, tenere et numquam contrafacere vel venire per se et suos heredes aut aliquos alios quovis modo, in iudicio vel extra iudicium, de iure vel de facto, aliqua occasione, modo, ingenio seu tractatu, sub pena unciarum auri decem, medietate ipsius pene reginali curie vel alteri ubi exinde facta fuerit reclamatio seu querela, et altera medietate uni alteri et alteri alteri dictarum partium et eorum heredum predicta et subscripta omnia observanti persolvenda totiens quotiens fuerit exinde quomodolibet contrafactum, me predicto notario tamquam persona publica pro parte dicte curie et dictis partibus ad invicem altera silicet ab altera pro se et suis heredibus sollempniter stipulante penam ipsam, qua commissa vel non commissa, exacta vel non exacta seu gratiose remissa presens nichilominus instrumentum cum omnibus que in se continet in suo semper robore et efficacia perseveret, cum refectione dampnorum, interesse et expensarum litis et extra que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento ipsius alterius ipsarum partium predictam permutationem et omnia et singula supradicta et infrascripta observatis, ut prefertur, et heredum suorum, nulla alia probatione quesita. Et renunciaverunt super hiis dicte ambe partes altera silicet pro cautela alterius exceptioni doli mali, vis, metus et in factum, beneficio restitutionis in integrum, presentis non sic celebrati contractus, rei predicto modo non geste vel aliter habite quam superius continetur, et generaliter omnibus aliis auxiliis et beneficiis omnium iurium atque legum ac quibuslibet privilegiis, lictis, rescriptis et specialiter iuri dicenti generalem renunciationem non valere et iuri per quod cavetur quod

dicto iuri renunciari non possit, quibus vel ipsorum aliquo suffragantibus, dicta permutatio et cambium predicta omnia et singula possent in aliquo minui vel infringi. Pro quibus omnibus et singulis attendendis et inviolabiliter observandis, quodque predicta omnia et singula vera sunt, dicte partes sibi ad invicem coram nobis prestiterunt corporaliter per eos tacta ad sancta Dei evangelia iuramentum. Et voluerunt dicte ambe partes quod si in presenti instrumento aliqua iuris sollemnitatis deficeret tacite et expresse intelligatur in eo et totiens refici possit et emendari ad consilium sapientis quotiens opus erit veritatis tamen substantia non mutata. Unde ad futuram memoriam et ipsarum partium preces ac cautelam et certitudinem earundem et heredum suorum facta sunt exinde duo consimilia publica instrumenta, unum pro unaquaque partium predictarum signo meo solito signata, mei qui supra iudicis ac nostrum predictorum subscriptorum testium signis et subscriptionibus roborata.

Que scripsi ego predictus Franciscus publicus ut supra notarius, qui premissis omnibus rogatus interfui et meo consueto signo signavi. SN Franciscus † Ego Adenulfus de Stampis de Potencia iudex qui supra. † Ego presbiter Andreas Corvus testis sum. † Ego yaconus Angelus de Cancellario interfui. † Signum crucis proprie manus Palmerii de Luboya testis ydyote qui interfuit scribere nescientis. † Signum crucis proprie manus Rogerii de Calluy testis ydyote qui interfuit scribere nescientis. † Signum crucis proprie manus Guillelmi Stacconi testis ydyote qui interfuit scribere nescientis. † Signum crucis proprie manus Nicolai de Albano de Potencia testis ydyote qui interfuit scribere nescientis.

